

PRÆNOTIONES

CONTRA

ANTIDOGMATICOS

TAM NATURALISTAS QVAM
FANATICOS

CVSTODIENDÆ.

PRÆNOTIO I.

DVo sunt, quibus salutaris doctrinæ ambitus continetur, quæque orthodoxiæ vocabulo simul designari solent, alterum veritatis possessio, alterum ejus cura & accuratior conservatio: quorum illud Sceptici & Indifferentistæ cum primis adoriuntur, suo olim loco a nobis impugnati, alterum Antidogmatici, cum quibus impræsens nobis est congregiendum. Vtrumque sane istorum conjungi debet; neque enim veritatem in hac vitæ humanæ conditione retinebis sine *ἀσφάλεια* Theologicæ studio, neque hoc ipsum ullius erit usus, vel commendatione dignum, nisi circa veritatem jam obtentam versetur. Non itaque potest sollicita illa piorum dogmatum cura a quopiam impugnare
R
rejici-